

Q. D. B. V.

AD

X 205 3998

ORATIONEM VA-
LEDICTORIAMde nefariis Thomæ Münzeri conatibus ejusq; sedi-
tione ac exinde propè Francohusium in vicino monte
der Schlachtberg dicto. A. 1525. circa hoc anni
tempus exortâ Clade*ab**Ornatissimo Scholæ nostræ Alumno*FRIEDERICO CHRISTO-
PHORO Reiffen /Strausbergensi, non immaturè studia Academica
maturaturo

Crastino die 7. Aprilis,

*Deo feliciter annuente,**post preces publicas matutinas habendam*Maximè venerabiles DNN. INSPECTORES, PATRONOS
omnesq; Rei Scholasticæ benè cupientes honorificè invitat

M. JOHANNES Hoffmann / Scholæ

Franc. Rect.



NORTHUSÆ,

Typis Augustini Martini Hynitzschij,

ANNO M DC LXXXIV.





SI unquam Circuli Teutonici, tractum imprimis quod attinet Thuringiacum, periculosissimis motuum intestinorum procellis infestat, devastati ac conqvasati fuerunt, certè id annò superioris seculi vigesimò quintò satis funestò accidisse Historiographi gravissimi, quos inter Sleidanus Historicus integerrimus, & quondam Reip. Argentinensis Legatus principatum tenet, memoriæ prodidere. Horum autem malorum procellæ hæc ex seditione tanquam ex aliqua Pandoræ pyxide qua data porta ruentes non solum Sueviam, ubi hoc malum cœpit, sed & Franconiam, Lotharingiam, Alsatiam & imprimis Thuringiam turbine perflarunt, quæq; ipsa miserrima vidit & quorum pars magna fuit nostrum haud obscurum Francohusium. Belli hujus intestini fax & tuba extitit Thomas Munzerus, primum Zvickaviæ, deinde vicini Alsteti Ecclesiastes Anabaptistarum Author, qui Rusticorum hinc inde degentium animis faces subjiendo contra sæpius iteratam Lutheri dissuasionem persuasit, ut tam Cleri, quàm Nobilitatis jugum excutiendo ex servitute ac oppressione in libertatem ferrò se vindicarent. Ignobile vulgus in seditionem flecti cereum perniciosissimo Munzeri svasu ac impulsu inflammatus contra Magistratum & Nobiles sævit.

Famq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Hæc collecta & in partes Münzerianas pellecta seditiosorum manus Duce Munzero, vicinum montem adortu difficiliorem, sub ejus radicibus Francohusium sita est, castrorum metatione ac machinis bellicis delegit. Quò verò Germaniæ proceres hæc nefaria seditionis conamina & molimina reprimerent, equitatu ad mille quingentos & peditatu non magnò conscripto die Lunæ post Dominicam Cantate dictum montem loco commodiori invadentes castra è regione exstruunt. Quibus conspectis rustici neq; tormentis neq; armis satis instructi, & pleriq; rei militaris imperiti trepidare ac tergiversari cœpere. Quapropter Principes commiseratione impulsii, missis internunciis eos hortabantur, ut tantum traditis motuum autoribus arma abjicerent, & impunitate oblatâ, ad patrios Lares reverterent. Munzerus autem prolixiore oratione exanimatorum animos revocaturus illos de suppetiis *negro* certo certius ferendis, & quod omnes tormentorum ac bombardarum globulos manicâ excepturus & collecturus esset, securiores reddebat.

debat. Cui accessit, quod eodem ferè tempore in nubibus iris conspicebatur, cujus figuram quoque in vexillis suis usurpabant, quam non obscurum speratae victoriae signum judicabant. Quibus peractis classicum canebatur, tormentorum ac bambardorum globuli in rusticos mittebantur, homunciones attoniti, consternati & tanquam caudices ac Marpesiae cautes neque se defendebant neque pedibus salutem initio quaerebant. Ecclesiasticum licet hymnum canendo: *Nun bitten wir den Heiligen Geist*; Spiritus S. auxilium implorarent; nihilò tamen minus internecioni dabantur. Exoneratis tormentis cum nunc in rusticorum castra impetus fieret multiq; trucidarentur superstitēs in fugam coniecti Francohusae sibi asylum quaerebant. Ast praelio finito Francohusium occupabatur & ad trecentos capti capite mulctabantur. Numerus in vicino monte occisorum, (unde adhuc hodie *der Schlachtberg* dicitur) ad quinquies mille; per universam verò Germaniam ad quinquaginta millia, alii hunc numerum duplicant, se extendit. Haec erat euenta conjurationis hujus ac seditionis catastrophe & sic justissimus omnis seditionis vindex anchorae jactum invertebat. Interea Munzerus quoque profugus non procul à nostrae civitatis porta juxta Sleidanum in domum quandam, sed juxta Phil. Melanchthonem epist. 19. ad Joach. Camerarium die Veneris eadem hebdomade post hanc cladem datâ p. m. 26. in quoddam monasterium monialium, irrepsit & se abdidit, ubi à quodam famulo in lecto ex improvise inventus morbum febrilem simulabat. Sed cum literae in quadam crumena repertae eum proderent, tandem minis coactus se Munzerum esse fatebatur. Captus itaque ad Georgium Saxoniae principem & Landgravium adducitur. Quaestionibus & tormentis subjectus, cum dolorum impatiens exclamaret, Georgius Dux Saxoniae: *tu nunc quidem cruciaris*, inquit, *Munzere, sed cogita miserorum hominum cladem, qui per te nefarie circumventi hodie pereunt.* Munzerus ridens respondebat: *Hoc voluerunt.* Postea Heldrungam deductus, ac rigidius de seditionis causis & conjurationis sociis examinatur tandemq; Mulhusium delatus capite damnabatur. Supplicis ultimo jamjam proximus errorem deprecando agnovit ac Principes ad majorem erga subditos Clementiam & sedulam librorum sacrorum de Regibus lectionem adhortatus est, ita fore, ut nullum posthac ejusmodi sit extimescendum periculum. Quibus verbis finitis gladio percutiebatur caputq; ejus palo affixum medio in campo collocabatur. Haec est brevissima Historiae Munzerianae ex variis probatae fidei Historiographis pro destinati spatii angustia collectae Sciographia. Sceleratam autem hujus Munzeri mentem & execrabilem seditionis conatum

Zc 7700 OK

conatum in oratione sua Valedictoria ex Genere Juridicali juxta methodum Rhetorico-Aristotelicam à B. SCHRADERO Juliae quondam P. P. at quanto viro! publicatam, prolixius suo Marte elaborata ex-aggerando Munzerum accusabit & apud Germaniae Principes, ut quanto citius ultimum de ipso sumant supplicium, ficto & commentitio modo exercitii ergo modestè instabit Ornatissimus Adolescens FRIEDERICUS CHRISTOPHORUS Reiffel Strausbergensis, optimi Parentis filius natus & spe maximus, hactenus Scholae nostrae Alumnus diligentissimus, nunc verò studiorum Academicorum & quidem juridicorum candidatus haud *immaturus*, ad quem illud Eloquentiae Patris Ciceronis effatum jure meritoque licebit applicare: *Studia, quae sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant, quae virtutis MATURITAS & quanta fruges industria sint futurae.* Etenim haud obscura primae maturitatis suae signa hactenus in nostro Artium Seminario privatim & publicè edidit, dum imprimis aliquoties in prorsa & versa publicè ex cathedra memoriter recitando laudabiles industriae suae fruges venerandis DNN. INSPECTORIBUS & AUDITORIBUS non sine laude satis probatas dedit. Speramus autem fore, ut posthac porro cum ineunte hoc vere pietatis & diligentiae succum florentissimo optimorum studiorum Paradiso Salano insertus ita sit porro exorturus, ut aliquando Rempubl. & Patriam amplissimam foliorum & florum luxurie suaviter obumbrare & maturimis studiorum suorum fructibus mactare & delectare queat. Tu verò mi Reiffel vide ne optimo hoc nostro de te augurio spes nostra fallatur. Et haec spei innixi omnibus BONIS de meliori te commendamus, cum *nulli unquam tam clarum statim ingenium sit (teste Plinio lib. 6. ep. 23.) ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, Fautor etiam commendatorque contingat.* Vos itaque maximè venerabiles DNN. INSPECTORES, PATRONI, omnesque quibus Schola & studia literaria curae cordique sunt, submissè ac officiosè rogatum eo, ut honorificam atque exoptatissimam vestram praesentiam, ut alias, abiturientis nostri Alumni orationem *ὑποβαρνεῖαν* seu publicam gratiae mentis tesseram condecorare, simulque annuam seditionis ac cladis rusticae in vicino nostrae urbis monte *der Schlachberg* vocato, hoc ipsò anni tempore ante centum & quinquaginta novem annos factae memoriam recolere haud dedignemini. Hunc in nos & Scholam nostram affectum deprecare & *καθόυαμιν* compensare nunquam desistimus. Valet omnes & singuli!

P. P. A. clō Ioc LXXXIV.

F I N I S.

WM

M.C.



QK. 1206.

De Thom. Mier

ORATIO

LEDIO

de nefariis Thomæ M

tione ac exinde propè

der Schlachtberg d

temp

Ornatissimo S

FRIEDERI

PHOR

Strausbergensi, non

Crafti

Deo

post preces pub

Maximè venerabiles DN


omnesq; Rei Scholastic

M. JOHANN

F



Typis Augu
ANN



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

White 3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

